

# CURRENTA

Episcopalis Consistorii Premisliensis r. l.

Annus 1868.

Nr. V.



Nonnulli Domini Decani jam suo jam Condecanalium nomine supplices facti sunt Nobis, ut **Nr. 33.**  
congregationes decanales celebrare iisdem liceat.

Piis eorundum votibus ac desideriis eo lubentius assentiendum duximus, cum saluberrimam **Ord.**  
hanc Ecclesiae catholicae praxim in Dioecesi nostra a longiori tempore obliteratedam sincere **Methodus**  
deploremus, eamque denuo resuscitare cupientes sequentia eo obtutu statuimus: **in celebrandis**  
**Congregatio-**  
**nibus Decana-**  
**libus**  
**observandus.**

Tria sunt fratres dilecti! quae hoc sub respectu debitae pensationi subjienda censuimus, et quidem A. Tempus-quando, B. Locus-ubi et C. Modus, quo congregationes hae sine gravi molestia et dispendio, cum fructu tamen desiderato celebrari possent. Juxta haec igitur tria momenta quaestionis objectum tractaturi sumus.

## Ad A.

Tempus quod attinet, illud celebrandis congregationibus his vel maxime acceptabile reputamus, in quo ob augustam sanitati aëris temperiem, infirmitates graviore ac per consequens aegrotorum etiam visitationes rarissime occurrunt, excursio de domo et longior in ecclesia permansio facilis evadit, quandoque Dni Curati rei suae oeconomicae curam non adeo magnam impendere coguntur. Censemus autem indigentis his, oris in nostris, mensem Junium et saltem primum dimidium Octobris adprime respondere. Menses igitur hos, Junium scilicet et primitias Octobris pro celebratione dietarum congregationum designantes, summopere exoptamus, ut ad easdem instituendas jam anno currenti in primo Octobris dimidio conveniatis. Dni Decani igitur erit pro conventu primo solita via cursoria diem designare, thesesque a singulis (quinquagenariis exceptis) elaborandas, quas tamen ad quaestiones cum cura animam immediate ac intime conjunctas et ad casus practicos restringimus, quasque in futurum abhinc designaturi sumus, destinare. E thesibus ejusmodi una et ad summum duae sacerdoti cuivis elucubrandae proponantur. Quod autem ulteriorum congregationum tempus

adinet, hoc Dni in congregatione praesentes votorum majoritate ipsimet statuent, et decisio hactenus facta prothocollo actorum per Notarium conscribendo ingrossabitur suo tempore per D. Decanum omnibus in memoriam revocanda.

Hic pariter locus est decidere: quanto tempore congregatio decanalis durare debeat. Exoptamus quidem ut Vener. Clerus Curatus per exercitia haec a reliquis officiis suis pro brevissimo tantum, ut fieri poterit, revocetur tempore; cavendo attamen, ne congregati Dni assignato sibi justo breviori intervallo ad praecipitanter agendum coacti, paucos tantum vel nullos fructus spirituales exinde capiant, statuimus: ut Condecanales in termino praefixo ante horam pomeridianam 4. ad locum designatum (de quo infra sub B. erit) conveniant, hora vero 4. actus congregationis jam incipiat, et ad horam vespertinam 5. subsequentis diei perduret.

#### Ad B.

Pariter et locum, in quo congregatio prima celebrabitur, Dnus Decanus mutatis praevis cum parocho, ad quem reliquos convocare eidem visum fuerit, consiliis, assensuque ab eodem accepto, ut supra ad A. designabit et publicabit; pro sequenti autem conventu, si nemo ad id se libere offerre velit, ipsimet Dni Curati votorum majoritate desuper decident; quae decisio ut ad A. in prothocollo praenotabitur.

#### Ad C.

Quod tandem modum congregationes decanales celebrandi adinet, hoc sub respecta sequentia observanda statuimus:

I. In Decanatibus, ubi parochiae numero paucae inveniuntur, nec a se invicem longe distant, congregationes semel tantum de anno celebrare in ordine sufficiet; in Decanatibus autem amplioribus, ubi omnes adsimul difficillime tantum convenire valerent, parochoque hospiti inevitabilem causarent molestiam, bis de anno ita convenire oportet, ut pars dimidia ad primam, pars altera ad secundam congregationem adpareat. Partes has D. Decanus designabit, cujus etiam erit eo tendere, ut parochi semper permiscue cum Cooperatoribus conveniant; nolumus enim ut una vice soli Curati, alia autem soli Cooperatores invitentur; poterunt tamen praeter designatos et alii non impediti in utraque congregatione comparere.

II. Ad congregationem discessuri parochiis suis ad tempus absentiae jam per sacerdotes vicinorum Decanatum, jam per sacerdotes Regulares, si hoc possibile erit, jam per illos de Condecanalibus, qui hac vice domi manent, idque pro circumstantiarum qualitate, providere obligantur. Optandum igitur, ut Decanatum vicinorum superiores de tempore absolvendarum congregationum ita inter se conveniant, quatenus in eorum Decanatibus uno eodemque die congregationes hae nunquam celebrentur.

III. Tempore et loco designato omnes talaribus induti ac superpellicea, breviarium et birretum suum habentes ante horam 4. pomeridianam in domo plebanali designata comparebunt, et nemine jam deficiente superpelliceis induti, biretumque imponentes bini atque bini juxta ordinationis senium Decano processionem claudente et canticum Benedictus intonante ad ecclesiam se conferent, ubi coram tabernaculo SSimum adoraturi genuflectent. Postquam autem ita orantes vel meditantes aliquamdiu permanserint, D. Decanus ad quem praesidium in congregatione pertinet, et qui unicus praeter parochum loci stolla indutus esse potest „Veni Creator“ intonabit, quo per omnes decantato versum respectivum et orationem dicet. His peractis occupabunt scamna sive sellas ad utrumque parietem dispositas, recitabuntque choraliter D. Decano inchoante et hebdomadarii adinstar fungente primum Vesperas diei cum completorio, dein vero Vesperas defunctorum pro defunctis fratribus, quibus finitis procedent ad Sacristiam ubi mensa, sellae et requisita scribendi parata esse debent, ibique secretorum votorum majoritate eligent primo Assessorem congregationis, cujus erit D.



Decanum in actibus ad congregationem spectantibus sublevare, ejusque vices in casu debilitatis vel alius nefors justae impeditiois supplere, dein vero designabunt Notarium, qui prothocollon congregationis conscribet, postremo autem omnes, et quidem D. Decanus ad manus Assessoris, reliqui vero ad manus Decani sub fide sacerdotali sponsionem facient, se de scrutiniis (de quibus infra agetur) nil esse propalatuos. In conventu hoc eligent pariter unum vel si consultum fuerit duos aetate ac moribus graviores, prudentiaque pastorali conspicuos sacerdotes, coram quibus confessionem Sacramentalem sunt peracturi, discedentque ad domum parochialem pro frugali refectione sumenda. Sumpta refectione conferent se adsimul omnes sed jam sine cantu iterum ad ecclesiam, ubi consedentes recitabunt item choraliter Matutinum cum Laudibus diei sequentis, absolvent s. confessionem consumatoque reliquo tempore in oratione discedent ad plebaniam quiete nocturna se recreaturi.

IV. Die altera mane surgentes absolutis private horis canonicis hora media 6. ad ecclesiam se conferent, ubi adorato praevie SSmo occupabunt scamna recitabuntque D. Decano intonante Nocturnum unum cum Laudibus pro defunctis fratribus, quo finito designatus per D. Decanum sacerdos ad eandem intensionem etiam missam cantatam celebrabit. Intra missae hujus celebrationem sacerdotes reliqui uno excepto, quem D. Decanus ad missam votivam conventualem, si ipse eandem celebrare non posset, designabit, missas privatas legent, quibus absolutis D. Decanus vel designatus ab eodem presbyter pro Spiritu S. invocatione missam de Spiritu S. si rubricae id permittent, alias de festo diei additis oratione, secretis et post communionem de Spiritu S. solemniter, et in quantum fieri poterit, cum assistentia Diaconi et Subdiaconi decantabit, cui omnes superpelliceis induti devote interesse obligantur. Sub finem missae hujus distribuentur inter sacerdotes candelae ardentes, et finito Evangelio ultimo celebrans descendit ad platum in medio altaris, junior autem quidam sacerdos cinctus stola exponit pixidem ad mensam altaris, quam praevie incensatam celebrans accipit versaque facie ad populum intonat: „O przenajświętsza Hostio“ et defert ad Sacristiam, ubi intonato pariter „Bądź chwala“ etc. dat benedictionem et deponit in loco praeviae ad id adaptato. Facta vero incensatione et adoratione discedunt omnes in silentio ad domum plebanalem pro summenda parva refectione, qua durante Curatus loci praesentem nefors populum affabiliter informabit: sacerdotes, quos modo viderant, disponente sic Domino loci Ordinario ideo hic convenisse, ut de objectis ad ecclesiam Dei et eorum vocationem spectantibus, utpote de rebus sacris in loco Deo sacro sine omni distractione et praepeditione consilia secum invicem commutent, ac de effectu deliberationum suarum Eidem qua Universali totius Diocesis Pastori referant, rogabitque decenter, ut consultationes has, dubio procul bonum etiam ipsorum parochianorum concernentes, praesentia sua distrahere ac praepedire nollit, ac vel ideo ab ecclesia discedat. Fidelibus discessis praeparabit in navi ecclesiae mensam capiendam numero congregatorum sufficientem, in qua panno vel tapete contacta imaginem crucifixi D. N. J. X. inter duas ardentes candelas collocabit. Mensae huic adplicabit tot sellas, quot sacerdotes congregati inveniuntur, providebitque eidem de requisitis scribendi.

V. Reversi ad ecclesiam sumpta refectione occupant sellas circa mensam dispositas et quidem ita, ut D. Decanus in loco primario ad dexteram suam Assessorem, ad sinistram vero Dignitarium si adest, vel alium aetate graviozem parochum habens consedeat, reliqui vero juxta ordinationis senium et quidem primum parochi dein Cooperatores sequantur, loco ultimo ex opposito D. Decani per Notarium occupato.

Hoc facto D. Decanus vel alius sacerdos tempestive, id est, saltem circa publicationem congregationis ad id designatus, conscendet suggestum, facietque sermonem, in quo scopum ac finem congregationis decanalis exponet.



VI. Sermone finito deliberatur super elaboratis, quae singuli incipiendo a Cooperatoribus vel perlegere vel si placuerit etiam memoriter recitare possunt. Proferens elaboratum suum a nemine interrumpatur, finita tamen lectione vel recitatione cuilibet observationes suas desuper modeste et sine confusione referentis facere licebit. Praeter elaborata haec poterunt etiam aliae quaestiones et casus practici in cura animarum accidentes discussioni subijci, qui tamen evitando perturbationem finitis primum deliberationibus super elaboratis, juxta cujusvis indigentias proponendi sunt. Sic procedendo usque ad meridiem, sumitur prandium non ultra dimidiam horam duraturum, post quod alterum horae dimidium quieti sive recreationi dabitur. Reversi post hoc ad Ecclesiam Domini ulterius ut supra super elaboratis et aliis nefors positis vel ponendis quaestionibus deliberabunt, qua deliberatione terminata proceditur,

VII. ad scrutinia, quae modo sequenti sunt peragenda: D. Decanus surgendo de loco, hoc vel simili modo alloquetur confratres: „Bracia szanowni! zbliża się czas zakończenia tego zgromadzenia naszego; ale mało byśmy z niego tak dla nas samych, jak i powierzonych naszemu pasterstwu owieczek odnieśli korzyści, jeślibyśmy przed powrotem do parafij naszych nie zbadali nawzajem: jakie jest zachowanie się, jakie życie nasze; jeślibyśmy, wiedząc o uchybieniach — może nawet o ciężkiem zapomnieniu się brata i o zgorszeniu, które ztąd splywa na parafię — dla względów ludzkich przytłumili głos sumienia naszego, a w milczeniu bezbożnem zaniedbując upomnienie braterskie, ośmielili błędzącego tem więcej do dalszego nagannego życia, i tak stali się współwinnemi jego dalszego upadku i tych wszystkich zgorszeń, które ztąd na lud wierny splywają. I dlatego też JW. Najprzew. nasz Pasterz obliguje i zaklina nas, abyśmy pomni na posłuszeństwo jemu posłubione i na obecność Boga, który serca nasze przegląda, o tem wszystkim, coby nam w zachowaniu się braci jako nieprzyzwoite, z powołaniem naszym niezgodne i lud Boży gorszące wiadome być mogło, sumiennie tak jak na spowiedzi ś. w tym celu zeznali, aby błędzącego przez upomnienie braterskie od złego odwieść i na dobrą naprowadzić drogę, lud zaś wierny od dalszego przynajmniej ochronić zgorszenia. Wzywam was tedy bracia! w imieniu tegoż JW. Najprzew. Pasterza, abyście zawezwani szczegółowo do tego skrutynium, na pytania wam dane tak odpowiedzieli, jak wam wiadomość i sumienie wasze wskazuje. Ponieważ zaś i ja, już jako kapłan, już jako dziekan wasz mimo wiedzy i chęci mojej nie w jednym mogę uchybiać, sami zaś na własne ułomności i błędy zwykle pobłażliwymi i ciemnymi jesteśmy, proszę was tedy bracia, abyście skrutynium to od mojej rozpoczęli osoby, i w braterskiej miłości, ale zarazem z bezwzględną otwartością to mi wskazali, w czem mi się poprawić potrzeba.“ Hic Decanus depositam stollam imponit Assessori receditque cum reliquis Assessore et Notario in ecclesia relicto extra eandem.

Quia tamen per ejusmodi scrutinia nihil aliud, quam errantium fraternam correctionem, ac vitae sacerdotalis ubi haec a vocatione et disciplina ecclesiastica deflexerit, in melius reformationem intendimus, minime vero Vos fratrum vestrorum nisi pro gravitate praevaricationis justitia ipsa id exegerit — ad Nos delatores habere volumus, omnesque insuper inimicitias et odia, quae inter accusatum et accusantes exoriri possent praecauturi sumus, eapropter pro scrutiniorum horum institutione normam sequentem praescribimus:

Assessor juxta ordinem quem congregati in sessione servabant vocabit ad ecclesiam singulos interrogabitque eos; utrum quo ad mores et reliquam se gerendi rationem Decani ex propria cognitione vel divulgata fama aliquod objiciendum habeat nec ne? Responsiones faustae, ne ad scribendum nimium impendatur tempus, non conscribantur, si vero infausti aliquid prolatum fuerit, id ad prothocollon, quod tamen pro scrutiniis separatim ac speciale haberi exoptamus, nominibus confitentium omissis assumatur. Si Assessor et Notarius D. Decano pariter quaedam



obvervare consultum duxerint, indicium desuper in eodem prothocollo et quidem ordine, qui ipsis visus fuerit, facient. Omnibus jam de Decano confessis, Ipse solus ad ecclesiam revertetur, ubi Assessor pro circumstantiarum exigentia vel complacentiam omnium eidem indicabit, vel vero infaustas super Eo observationes in charitate fraterna et cum condigna muneri ejus reverentia manifestabit ac ad amotionem offendiculi praemonebit. His peractis D. Decanus pro continuandis ultro scrutiniis praesidium denuo accipiet, vocandoque singulos sacerdotes extra ecclesiam degentes ordine ut supra quaestiones sequentes iisdem proponet: Utrum Tibi frater ex propria cognitione vel divulgata fama notum non sit aliquem ex confratribus animo adeo levem esse, officiaque vocationis tam parvi aestimare, ut breviarium et alia pietatis exercitia prorsus negligat, seculares conversationes et oblectationes justo plus quaerat, functiones vero S. invite et perfunctorie tantum peragant? an cultus divinus et pietas parochianorum per Cleri Curati negligentiam et caliditatem detrimentum alicubi non patiat, et utrum Catechisatio juventutis non negligatur? an aliquis opiniones et animi sensa contra fidem et leges ecclesiae non foveat, eaque coram aliis tam ecclesiasticis quam saecularibus personis propalare non soleat? an quidam in parochianorum tractatione dure et inhumaniter non procedant et in jurium stolae exactione justitiae et aequitatis limites non transgrediantur? an sacerdotes aliqui in discordiis populum nequaquam aedificantibus non vivant odiaque mutua non foveant? an aliqui ebrietati indulgentes libidinosi, fornicarii imo et concubinarii non dentur. Haec et similia interrogatoria D. Decanus cuivis proponet, et si quid eo obtutu ab aliquo prolatum fuerit, Notarius omisso proferentis nomine in prothocollo scrutiniorum praenotabit, omnibusque jam auditis D. Decanus ad monitiones dandas procedet. Monitionum harum contestatio pariter in prothocollo scrutiniorum et quidem in sinistra fractae paginae parte, eo loco, quo in dextra accusatio illata extitit, fiat oportet.

Ut autem persuasum habeatis longe a Nobis, uti id jam supra commemoravimus, abesse, ut vobis hactenus provinciam delatorum demandemus, nec quidem notitiam horum, quae in scrutiniis his acta fuerint, habere de regula volumus; quapropter etiam in prothocollo congregationis generali Nobis anteponendo solummodo adnotari exoptamus etiam scrutinia peracta, ac monitiones ubi necessariae fuerant datas extitisse; nihil vero ejusmodi obtigisse, quod ad notitiam Consistorii deferri oporteret. Interim tamen necesse existimamus ac disponimus ut et scrutiniorum prothocollon a D. Decano ac uno e vicinis Curatis obsigillatum in actis decanalibus asservetur in testimonium contra eos, qui jam praemoniti non resipuerint et qua ulterius praevaricantes Nobis delati fuerint.

Utut autem tali ratione correctionem fratrum errantium mediis lenissimis procurare, eosque a diffamatione coram Nobis incolumes servare intendimus, justitia tamen ipsa ac pastorale Officium nostrum de quo Deo strictam rationem reddituri sumus, expostulat, ne propensae hinc in Vos benignitati nostrae nimium frena laxemus, ac ubi vel gravitas culpae, vel scandali, quod animabus fidelium mortiferum haud raro infert venenum, tempestitiva amotio vel denique errantium obduratio id postulaverit, fortiora etiam adplicemus remedia, ac eapropter causam questionis ad nos deferri demandemus; ordinamus itaque, ut in casu, si quis praevaricationis gravioris, quae severiorem animadversionem ac culpae expiationem omnino exigeret, reum se exhiberet, vel ubi de praepeditione ulterioris scandali ageretur, vel si correptio fraterna jam alias nefors facta absque effectu manserit, ut causa talis etiam ad prothocollon generale cum omnibus circumstantiis assumatur nobisque una cum eodem anteponatur.

Finitis scrutiniis conscriptisque aequae ac subsignatis per Praesidem, Assessorem ac Notarium prothocollis, quorum illud scrutinia continens ut supra dictum etiam obsigillandum est, D. Decanus confratres ad vitam honestam vocationi conformem, ad s. scripturam et libros thematis religiosi legendos ac officiorum conscientiosam adimpletionem incitabit, moxque pluviali indutus reliquis cum

candellis praecedentibus ad Sacristiam se conferret, adoratoque et incensato Sanctissimo Illud ad majus altare intonando „Jesu dulcis memoria“ deportat, ac in mensa deponit, ubi reversus ad planum intonat „Te Deum“ ad „Salvum fac“ dat consuetam benedictionem, post quam pixis panem angeheum continens in tabernaculo collocatur et ocluditur, Decanus autem intonat „Benedicamus Patrem“ etc. „Dominus vobiscum“ etc. „Oremus“ ac decantat orationes de ss. Trinitate ect. gratiorum actoriam sub una conclusione, ultimo autem: Divinum auxilium ect. quo ipsa congregatio terminatur, et Domini ad residentiam plebanalem reversi mox domum discedent.

Si qui ad congregationem comparere non potuerunt, durante eadem causam impediendam D. Decano insinuare obligabuntur, quae circumstantia una cum immissa excusatione in prothocollo praenotari debet.

Pariter si Domini congregati per praxim edocti in praesenti ordinatione Nostra aliquid pro futuro immutandum, demendum aut addendum censerent, facta desuper deliberatione opinionem suam in prothocollo exponant, quod D. Decanus in spatio 14 saltem dierum anteponet.

Quod tamen compensationem expensarum ex causa hujus congregationis per parochum hospitem latarum adinet, hanc jam fratres dilecti Vobismet Ipsi pro libera et amicabili compositione relinquimus, id tantum praecaventis, ne conventus hic epularum occasionem, sed cibum potius spiritualem vobis suppeditet, quo confortati tam Vestrae, quam animarum Vobis concreditarum saluti eo efficacius consulere valeatis, quod ut abundanter vobis accidat a Deo O. M. efflagitantes etiam pastoraalem nostram benedictionem Vobis impertimur.

## **Antonius Josephus**

Episcopus.

## **A Consistorio Episcopali r. l.**

Premislae die 19. Julii 1868.

**Ignatius Łobos**

Cancellarius.